XXXIV

AQVAR:

AD ILLVSTREM AC REVERENDISSIMVM ARCHIEPISCOPVM TAVRINENSEM,

AC ALMÆ VNIVERSITATIS Cancellarium dignißimum, Hieronymum è Ruuere, de excellentia Sacræ Theologiæ,

F. M. AQVARII ORDINIS PREDICATORVM publici, ac ordinarij Theologi in florentißima accademia Taurinensi.

ORATIO AB EODEM PRO FOELICI auspicio suarum prælectionum habita.



TAVRINI,
Apud Ioannem Criegher.
M D LXIX.

ILLVSTRI AC REVEREN-dißimo Taurinensi Archiepiscopo eiusdemq; vniuersitatis Cancellario dignißimo.

F. Mathias Aquarius Ord. Pred. S. P. D.

MIRVM fortasse (Præsul Amplißime,) mirũ inquam tibi videbitur, quòd ego qui in dicendi facultate, ac orationis copia parùm, vel nihil sum versatus hac inculta, atq; illaborata oratione purgatißimas aures tuas obtũdere, eandemq; tibi dicare ausus fuerim: cui ob admirabile ac diuinum propè ingenium, summam dignitatem, ac præclaram in omnibus ingenuis artibus; tum verò magis in politioribus, græcis, latinisq; literis eruditionem, nihil nisi ornatum in primis, ac politißima arte perfectũ offerri solet. Ex quo nõ parum dubito arrogantiæ, an temeritatis crimine tibi suspectus videar: Verũ cum tuorum in me beneficiorum magnitudinem animo quan-

doque volutassem, tantum me tibi debere perspexi quantum vix animo, ac cogitatione consequi possem: nedum aliquam, vel potius minimam tibi gratiam referre, ingratus tamen, ac summæ inhumanitatis nota à te meritò suggillãdus essem, nisi tantorum officiorum, ac liberalitatis me tibi planè memorem, ac gratum præstarem, quòd hac oratione a me superioribus diebus in hoc celeberrimo gymnasio pro auspicio mearum prælectionum habita efficere decreui: quam quidem maximis amicorum precibus eamq; à me summopere efflagitãtibus typis mãdare coactus fui. Illud etiã me ad hoc plurimũ impellebat, quod cum varijs negotijs districtus ei adesse minimè potueris, ne quod ex tua præsentia ornamentum, ac decus consequutura erat, omnino amitteret: nunc sub tuo splendore, ne in Momi etiam alicuius morsus incideret prodire constitui: non quòd aliquid tua amplitudine dignum, te in ea lecturum arbitrarer, sed quemadmodum duo illius viduæ æris minuta ab eadem in ga-

Zophila

Zophilatium (quod aiunt) ex penuria sua oblata, tam grata nostro Seruatori, quàm larga ditißimorum munera fuisse legimus, ita meum hoc ex tenuitate exiguum munusculum adeò tibi acceptũ fore speraui, quàm aliorum luculenta ac præclara volumina. Quòd si in eá non orationis nitorem ac elegantiæ splẽdorem reperis, certißimum tamen, ac euidentißimum singularis meæ in te obseruantiæ (qua te sanctißimè colo) ac perpetuæ animo insitæ propensionis pignus habebis, quam memoria sempiterna diligentißimè conseruare indies magis, ac magis enitar.

Reuer. D. Tuæ

Maximè propensus

F. Mathias Aquarius.

SVBSEQVENTIS ORATIONIS.

EXORDIVM.

CVm semper antiqui moris fuerit, (grauissimi Patres & vos omnes quotquot adestis viri ornatissimi) atq; à Priscis huiusce celeberrimæ Academiæ moderatoribus optimè, ac sapienter sancitum, longeq; vsu receptum, vt qui in ea ad alicuius facultatis publicè profitendi munus delecti fuissent, eam primùm haberent orationem, quæ eiusdem facultatis encomia celebrarent, & ad ipsam capescendam studiosorum animos eius amore excitarent, inflammarentq; Quorum sanctissimum sanè institutum si vnquam à quopiam seruandum fuit, tùm verò maximè à me obseruandum procul dubio esse video. Etenim cùm mecum ipse animo cogitarem, mentemq; in bonarum artium cultores conuerterem, pleros'q; ac penè omnes, cæteris disciplinis omnino deditos, ac consecratos esse, hac vna scientiarum Regina spretâ penitusq; despoliata comperturum habui, cuius mehercle longè honorabilius est (vt optimè à Peripateticorum Principe memoriæ proditum est) tenuem, ac perexiguam cognitionem habere, quàm plenam, ac earum perfectam notitiam tenere, cùm præsertim hæc nobis non solùm ad benè beateq; viuendum iter quàm expeditissimum præparet, ac muniat, verùm etiam nos dijs quàm simillimos reddat, illæ verò ad honores, diuitias, ac dignitates fluxas, ac fragiles aditum suggerant. Quod non parum vos mouere deberet, sed dum me ad huius disciplinæ laudes confero, vnde potissimùm exordiar nõ satis scio, ac tanquàm altũ Oceanũ ingenij mei nauiculam ingredi timeo, ne eius forte oppressa fluctibus, demergatur. Quis enim tanta ingenij magnitudine, tantaq; eloquentia præditus, vt satis dignè eam pro rei maiestate celebrare queat, quæ sui diuini planè splendoris radijs humanæ mentis aciem (vt præclarè dicebat Melissus) longè perstringit, vt in clara ac eorum perspicua cognitione, veluti oculus noctuæ ad lucidissima solis lumina densissimis in tenebris, versari videatur. Ausim tamen ego, diuini numinis fretus auxilio, infantium more balbutiendo, ex innumerabilibus propè quæ

de

de huius præclarissimæ doctrinæ nobilitate, ac præstãtia dici possent, pauca quædam summis (quod aiunt) labris attingere, & si quantam rei grauitas expostulat, tantam mihi pro vestra humanitate attentionem præstabitis, spero vos meridiana luce clariùs, nullam esse hac scientia præstantiorem, ac digniorem intellecturos.

NARRATIO.

DIOGENEM Synopeũ phylosophum tradunt, inprimis omniũ a se voluptatum, & cupiditatum illecebras abdicasse, vilissimoq; vixisse amictum palliolo, & angusto dolio, veluti amplo domicilio receptũ. Diogenes itaq; cum aliquando ex calice quodam ligneo, vsum potandi haberet, videns puerũ manu concaua bibentem statim calicem in terram elisit, dicẽs, nesciebam quod natura poculum haberet, ex hoc proculdubio innuens naturam humanis vsibus consulere, quasi matrem omni ex parte prudentissimam, atq; liberalissimam, quod quamuis apertè verum sit, non solùm in pulcherrima, eademq; temperatissima humanæ molis compositura, armoniaq;, verumetiam in abditis exteriùs adminiculis cum astra lucere, cœlum influere, nubes pluere, misceri elementa, arbores atque animalia fructus, fœtusq; suos producere solũ nobis contendant. (omniũ enim quodãmodo finis est homo, inquit Aristoteles.) Longè tamen copiosius hominem natura illa suprema ditat: dum ingenij superno lumine ipsius animum exornat, & in diuinam refert imaginem. Egregium igitur illud naturæ donum paululum contemplari liceat, dum per ocium nobis conceditur in tam vtili, tamq; egregia consideratione versari, vt faciliùs ad scopum vos deducere possim. Si enim vniuersa naturæ præclara, admirabiliaq; opera breui hac mea narratione cõplecti arbitrarer quæ neque ego, nec qui: mortaliũ quisq; mẽte concipere vsquã poterit, acta agerẽ vastũq; pelagus exiguo vasculo cõcludere attẽtarẽ. Quis enim vel telluris naturã, metallorumq; gemmarúmue ortum, herbarum, ac arborum virtutes, animalium, vel familiarium generationes, & mores verbis dignè explicare queat? Quis vastitatem, salcedinẽ, & fluxum maris, cursum, ac amenitatẽ fontium, fluminũ, lacuúmue origines, multiformium pisciũ genera? Quis aeris regiones omnigenas, aues, ventorũ impetus, rorẽ, pruinam

pruinam, pluuiam, niuem, grandinem, tonitrua, fulgura, corruscationes, ignitas impressiones, iridis varietatem, galaxiæ circuitum explicabit? at si quis ista profiteretur, quis tamen cælorum ambitus, motuum velocitatem, syderum varios influxus, lunæ, ac solis pulchritudinē, lucis vniuersam virtutē, aliarumque cæli & orbis partium proprietates, & beneficia exactè se asserat consecutum: cùm nec tantillam vix ipsorum notitiam attingamus. Cæterùm ego nonnullam intellectus humani virtutem, ac eam decorando quantum scientia atque scientiarum regina Theologia præstent in medium adducam, sicque placidiores aquas attraham sine cortice tutus. Intellectum igitur humanum, quod ingenium, mentem, intelligentiam, διάνοιαν Græci, rationem latini, varijs muneribus diuersi dixerunt, iuxta veræ Philosophiæ principia animi nostri vim quandam, ac potentiam in accidentium genere locandam, in primis statuemus, eamq; multiplicatam ad singularium hominum multitudinem desforis cum intellectuali forma venientem in materialem, immixtam, nō affixam alicui organo corporali, sed abstractam sempiternorum perceptiuam incorruptibilitatisq; participem optima ratione decernere placet. Cuius diuina opera admirantes quidam non animi potentiam, sed intelligentiam quādam putauerunt. Alij verò non satis illi tribuere arbitrati dixerunt ipsam esse Deum summum, ne dum intellectualem substantiam, qui eò magis deficere visi sunt, quò magis diuinum esse non considerauerunt infinito virtutis calle ab ea seiungi & auferre. Hāc itaque suprema illa natura adeo rectam ac generosam statuit, vt non nisi verum amplecti, bonum diligere, & exoptare queat: ijs verò aduersantia euitet, fugiat, atque perhorrescat: cumq; ad verè bonum assequendum subministrent virtutes, ac scientiæ semina quædam, quæ vtraque conferunt humanæ menti indicia quędam quibus cum excitari, tum etiam in eminenti culmine virtutum, ac scientiarum valeat collocari. Ne tamē sub his humana segnities sese immisceret pudibundo corpori nonnullis animantibus, quæ rationis beneficio vacant quasdam virtutum contulit imagines, vt dum ipsa in illis versantia conspicimus, quantò ipsis præstamus tantò ardentius eis omnē operam impendamus, ac laborem. Nemo enim est qui dum elephantis disciplinā intuetur, non accendatur ad studia & ad māsuetudinem, cum id animal omniū ferarū mitissimū, & placidissimū sit

Animalium proprietates.

ad multa officia præsertim bellica erudiatur, & prope intelligat, quã do etiã Regem adorare condiscit. Ciconiarum verò pietas, in parẽtes nos ad pietatem animat, cum genitorum senectutem educare approbẽt vniuersi. Meropum autem parẽtes, non modo senescentes, verum etiam statim cum iam deficit eis facultas operandi, in cubili manent, sicque pascuntur labore eorum quos ipsi genuerunt, & nutrierunt, educaruntq́; Quos vero non benignos efficiat benignitas Ossyfragę, quæ pullos Aquilæ derelictos suscipit, & fouet, ac nutrit? Quis tam piger, iners, & segnis est, quin excitetur ad vitæ munera, cum formicarum, atque apum intueatur labores, & industriam? Quos autẽ ad musicæ desiderium, non alliciat suauissimus concentus modulatricis Lusciniæ? Quis fidem, atque amorem non miretur in canibus, ac Delphinis? Quis castitatem in Elephante, Camelo, & Turture? Quantum studiũ ornatus, ac politure in Pauone? Hycneumon Aegypti, prudẽtiam edocet, qui vbi Aspidem, aut Anguem hostem suum aspexerit, non prius aggreditur, quin socios vocitet: & madefacto corpore volutatur pulueribus, vt limo obducto contra ictus morsusq́; sese loricet. Et vt missa isthæc faciamus. Quis quæso nõ instructior esse cupiat animãlibus, quæ loca pro temporis cõditione mutare solent, vt Hirundines, Hyrinacei, atque Grues, quæ non plus edunt, aut bibunt, quàm sibi salubre sit, non diutius dormiunt, quam eorum requirat valetudo: viuit quoque eorum animalium quodlibet sua sorte contentum. Nouit etiã sua quodlibet medicamenta: quinimo & homines nonnulla didicerunt ab eis. Mustella enim dimicatura cum serpente, rutam edit, cuius herbæ odorem sentiendo serpentes auffugiunt. Capræ siluestres in creta transfixe dictamum querunt, vt illo spicula eijciant, sicque a suis sese defendunt hostibus. Canes lumbricis infestati, tritici comedunt herbam. Ciconiæ cætereque aues, cum vulnus per pugnam acceperint, herbam illam quam bubulam vocant plage apponunt. Cerui percussi a Phalãgio, quod est Aranei generis, Cancros edendo sibi medẽtur. Ab Hyppopotamo idest æquo quasi fluuiali, quod est animal in Nilo, Medici diminutionem sanguinis, quod phlebothomiam vocant acceperunt. Testudo cum Viperam edit, mox Cunilam comedit. Hirundines pullorum oculis excæcatis apponunt celidoniam: (Autores sunt Plinius & Aristoteles) Sed quo diutius nostra vagatur oratio: cùm in contemplandis animalium mo

B ribus

ribus exempla suppetant omnium officiorum, & effigies offerunt sese cũctarum virtutum. Si enim vniuersa exempla, quasi humanarum mentium incitamenta nobis imitanda proposuerimus, nõ erit opus Corui, Merulæ, Picarũ, Psyttaci intueri loquacitatem: cum Pisistratum primum deinde Periclis oculos eorum dulci facũdia somno nouimus esse datos. Et non solum aures hominum demulxisse, sed & liberis Athenarum ceruicibus iugum seruitutis imposuisse. Eegerunt enim vrbem illam atque versauerunt arbitrio suo (Valerius ait) Ad obtruncãdum quoque Marcum Antonium missi a sæuissimis ducibus milites sermone eius obstupefacti districtos iam, & euaginatos gladios sanguinis cruore vacuos reddidere. Inimicas igitur manus eloquentia potuit benignas efficere. Homerum autem Poetarũ omnium profecto parentem, bonarumq; artium tradit (ait Cicero) cæcum fuisse. Sed quæ vrbes sint, quæ regiones, flumina, nemora, prelia, conuiuia, gesta, ac mores hominum, quæ ipse oculis uostris quasi pictura quadam nõ subijciat? vnde illa vrbium concertatio apud Gellium Septem vrbes certãt de stirpe insignis Homeri Smyrna, Rhodos Colophon, Salamin, Chius, Argos, Athenę. Diuinos nãque censebant poetas, ac nullo æuo ab hominum memoria delẽdos quod, his numeris modulatur Vates ille dum ait:

Laudes Homeri.

Ergo cum silices, cum dens patientis Arathi
Depereant æuo carmine morte carent,
Cedant carminibus reges, regumq; triumphi
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

Si autem subtiliora humani ingenij munera in rationalibus artibus percurramus. Prometheus primus omnium, qui apud Hesiodum Epimetheum monet inuentor Grãmaticæ quam nos litteraturam appellamus dicitur extitisse. Hãc autem rudis quidã speculari videbatur vt quidquid in os incideret bene dictum grammaticè foret, proinde vsus esset loquẽdi. Quod cũ intellexissent præstãtes viri, vidissentq; rectè, quadam & consonantia & voce litteras inuentas, ijsdem ducibus cõpositas, ex his sillabas, ex sillabis dictiones, nec esse multa sine rectitudine quales costructus, et regimina, & significatus accipe rẽt, vberius grammaticam duxerunt. In ea verò Philosophiæ parte quam rationalem dicimus. Ar. sese offert nobis mirabilem qui primus eam vt Isidorus testis est, ac Auerroes ad regulas quasdam do-

ctrina

ctrinæ perduxit. Rhetoricam autem quam benedicendi artem veteres scriptores diffiniere, quanquam in plerisque locis cum Grammatica passibus æquis ambulare dignoui. Nam ea vis dictionum in illis est minor, in Rhetorica subtilior. Quęrit enim nedum quid e, æ significent, sed quot significent, quidque vniuscuiusq; vocabuli proprium sit, deriuationes quoque compositiones ethymologias: traductionesq; qui nesciunt, vel peccent in syllaba non audint se Rhetores apud præclaras aures appellare. Quare iam tanta græcæ disciplinæ nos necessitas vrget, vt qui non teneat è Rhetorum, numero deiiciendus sit. & exibilandus. Huius autem inuentorem Abrahamum fuisse descripsit Philon. Musicam verò Ar. post Platonem, ac moralem postquã Socrates eam (vt inquit Cicero) e cælo vocauit docuit clarissimè, & in multa volumina doctè plusquam dici queat, ordine miro distinx t. Ex musicorum vero concentibus summam eruditionem (testis est Marcus Tullius) Græci in neruorum vocumque cantibus sitam censebant: vnde et Epaminundas fidibus præclarè cecinisse dicitur. Themistoclesq; aliquot ante annos cum in epulis lyram recusasset, omnibus indoctior est habitus. In summo etiam apud illos honore Geometria fuit: antea tamen Egyptijs ob Nili exundantiam familiarissima. Sub hac perspectiua quiescit & Geographia, in qua Strabonem sequimur, ac Tholomeum, cumque ab Arithmeticis isti nõ dissentiant Samium, Pythagoram, & Phenicum mercatores numerorum arcanis præficiemus. Athlãtẽ verò Promothei fratrẽ Astrologiã reperisse, author ast Plinius ex quo Poetæ fabulati sunt eum cœli columnam, cœlumq; humeris sustinere, quod prosequitur Virgilius, dũ ait,

Vbi cœlifer Athlas axem humero torquet stellis ardẽtibus aptũ. Summa quoque indagine, vt gentes seruarentur, medicinam quesierunt: cuius primus inuentor Apys Aegyptiorum Rex Phoronei & Pithonis filius quem Occus Machera Rex persarum obtruncatum cremauit cum amicis. Hunc alij volunt Apollinem extitisse: quod Naso tenuit inquiens. Inuentum medicina meum. Nonnulli Assyrij Osyrim appellarunt, quasi oculam vidẽtem multa. Post hunc primus oĩum scripsit medicinã ipsam vulnerũ Aesculapius in nauicula, cuius meminit Hyppocrates. Sed cum essent homines in ampliorem cultũ vitæ ducti, non ea solũm, quæ in corporum curis quærerentur procurauere, sed iam anhelãtes imperia, & principatus, & animis elatio

ribus tracti modum quendam sciscitati sunt, qui & metu, & ratiõne recta imperans, mala probibẽs, resisteret humanis cupiditatibus, vt ea quæ vi fierent, arctarentur, & fidem seruando, societas humana seruaretur, hec inquam: hæc fuit insignis inuentio illa iuris ciuilis non modo non superflua sed cunctis gentibus necessaria, huius sciẽtiæ inuentorem, & Grçci & Latini, tum Historici, tum Canonistę Mosem fuisse consentiunt, qui diuinas leges antiquis Habreorum populis cõtulit. Sed proh ut Christicolarum detestandum facinus, qui diuina ingenia terrenis, ac subobscuris fascinare student inuentis: cum diuinam sacrarum scripturarum scientiam, quam summo deberent studio colere missam faciunt: pedibusq; ancillarum conculcandam exponunt, non animaduertentes Sacram Theologiam eum contemplari quo omnes homines indigent, vt inquit Euripides, nemo vnquã Deum non esse ante omnia considerandũ statuit: nisi fortè Epicuri foret, vel sardapali, vel smindcridæ sybaritæ sectator, & totius humanitatis expers: vt ille de quo Propheta ait, dixit insipiẽs nõ est Deus. Reliqui verò cuncti Deum professi sunt, rerumq; diuinarum rationem quesierunt, quam si ad Saluatoris nostri vsque tempora, minime potuerunt inuenire, plurimum tamen quantum intellectu naturali claruerunt. Abrahamus enim de quo primo post diluuium fit mentio: quiq; a Philone in libro de Gigantibus ob animum suum circa celestia conspicuum: excellens pater dictus est, Simulacra gẽtium quæ pro Deo colebãtur ab ipso vsque Seruchо ad tẽpora patris Tharre de medio substulit. Nam cum verum nouerit omnipotentem Deum: primum in eo se confirmans patrem Tharram, ex quo didicerat Astronomiam quid sectandum esset docuit. Tabulasq; simulacrorum igni dedit, quo cuncti apparẽti optemperarent Deo. Hic autem Chaldeorum relicto solo in charam primum deinde, patre mortuo in agrum chananeum in Egiptum decessit ob vim pestilentiæ à multis gentibus, vt verus Theologus est electus pro patre factusq; fuit Patriarcarum Princeps. Cçteros Hebrços omitto, & Profetas & sanctos Viros, Qui vetustissimi fuerunt. Omniũ Theologiã, Poetæ profitebantur. Nam Pierius ipse carmen de Theologia versibus tradidit tribus millibus. Philosophi verò cuncta tribuerũt Deo, præter Eutermum senem, & Theodorum Atheum, & Prothagoram abderitem, & Carneadem Cytheneum. Alios sileo, quorum incredibilis est numerus. Propterea

sunt

sunt apud Gentiles de religione semper facta constituta, impios verò (quod docet historia) summis pœnis torquebant maiores nostri. Tandem ad fidem redactus est ordo Saluatoris aduentu. Nam cum possibilitas intellectus humani, quæ infrà sunt, quæq; sibi similia intelligat, ea quæ supra se sunt, cognitione non solum naturali speculatur, quod Philosophi fecerunt, in diuinis, sed etiam fide, vt viri pij hac in vita, & cognitione gloriæ, vt sancti in patria, & ita hæc Theologia per gratiam aliquando corporaliter ostendit quedam, vt Baldasar digitos vidit in pariete scribentes, & Pharaon dormiens spicas, & vaccas, Petrus vigilans discum vidit plenum quadrupedibus & serpentibus, nonnunquam intuitu mentis diuina imprimit arcana, vt Paulum ad tertium vsque cœlum scimus raptum. Quare qui iam filij sumus à patre dilecti, veram Theologiam sumus nacti, reliqua puerilia prima fuerunt, in qua cū & Bibliæ, ac aliorum operum, euangeliorumq; , præsertim lectiones traditæ sunt, tantá est & suauitas & salus, vt qui Theologiam ignorat nihil: nosse videatur. In ea enim & rudes lactantur, & nutriuntur sapientes. Proinde mare magnum Theologiam, Hieronymus appellauit, in qua bibit Agnus, & Elephas nutritur: hec est Regina illa, quæ de summo illius Hesyodi montis vertice, vel de cœlo potius descendit: & mater na quadam beneuolentia, nos intuens manus porrigit, vt afflictos recreet, iacentes erigat, mæstos in gaudium verteret, & amabili voce, ac suauissimis eiusmodi nos verbis alloquitur, & ad se colendam inuitat. Ego ex ore Dei altissimi prodij, prima omnium quæ ab eo genita procreataq; sum ab illo: seculis omnibus antequam quicquam faceret ordinata sum. Nondum erant abissi, & ego iam concepta eram, nondum fontes aquarum eruperant, nondum montes graui mole constiterant: Ante colles ego parturiebar, adbuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terrarum, quando constituebat cœlos, & aureis stellarum flammis exornabat aderam, quando appendebat fundamenta terræ, quando certa lege & gyro vallabat abissos, quando ethera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circundabat mare terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos, cum eo eram ego cuncta componens, & dirigens, ego nunc in cœlis & in omni gente & populo principatum obtineo, mihi tam mortales, quam immortales, tam excellent

tes, quàm humiles obediunt, hæc est ille thesaurus, & depositum, vbi summa diuitiarum omnium, scientiarumq; scilicet cum vniuersis authoribus facillimum est conspicere, atque iucundissimum. Congrue namque fari abundè docuit optimus ille Iuppiter, dum multa linguarum distinxit genera, in Babilonicæ turris erectione: quod in nouo testamento felicius contingit, dum mutos fecit loqui, & discipulis suis dedit linguarum dona. Dialecticè, & peritissimè argumentatus est Daniel, cum apertis rationibus senum mendacia in Babilone detexit, Prothomartir ille Stephanus vt in Apostolorū actis, sicuti & postea Saulus conualescebat, & confundebat iudæos, ita vt non possent resistere sapientiæ eius: quod antea Saluator noster sæpissime fecerat. Pauli facundiam, rhetoricosq; colores quis non stupeat, cōcionantis apud Ariopagum resurrectionem mortuorum? Petri etiam, qui in die Penthecostes tria hominum millia baptizauit, nōne inflamatrix, minacissimaq; fuit illa Christi vox è cælo dicentis Saule Saule quid me persequeris? quando Saulus ex persequutore factus est vas electionis. Musicæ artis peritissimum dicetis David, qui percussa cithara à Saule malum dæmonem expellebat. Tubas quoque Iosue Armoniæ habere virtutem redicetis, qui muros Hyericuntinos sonitu ipsarum prosternit, magis quā fictum in Amphionis Thebarum structuram. Arithmeticam super humanam considerate, vbi dictum est, Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, ad Abraham quoque, multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris, quam facultatem cōmaculans David, dum populum superbè numerat, vltionem deplorat, atque Angelum deprecatur percutientem. Daniel verò ea rectissime vtens vidisse se fatetur millia milliū ministrātium Deo, & decies centena millia ipsi assistentia. Moses insuper tribubus Israel terram promissionis Geometricè diuisit, illius nutu, qui omnia constituit in pondere, numero, & mensura: quod clarius in toto terrarum orbe monstratum est, quando in omnem terram exiuit sonus eorum, eorum inquam, qui ab eo missi sunt, qui appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera, de quo Propheta ait Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Nunquid non Astrologica disciplina optimè instructum Ioseph dicemus, dum somnia sua patri refert

Grāmatica. Dialectica. Rhetorica. Musica. Arismetica. Geometrica. Astrologia.

refert, ac fratribus? dum Pincernæ visa, & Pistori interpretatur in vinculis: dum septennem prædixit telluris inopiam, & septennem prædixit fertilitatem, propter quod fit dominus totius Aegypti? Num Eliam, qui ignem è cœlo uocauit? Num Iosue, qui uerbo fixum reddidit solē, quem postea in sui factoris morte legimus obscu- Medicina. *ratum. Medicatiuam artem si exoptatis Elisæum aspicite quæso. Naaman Syrum à lepra curantem, & Paulum in aryopago cæcum illuminantem, & quod magis inauditum est, Propheta filium viduæ, uita functum vitæ restituit: & Petrus Apostolus Thabitam mortuam à mortuis reuocauit, comparata ab eo virtute, propter quem cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Naturalis verò, ac diuina* Naturalis Philosophia *Philosophia, cum in principiorum, & causarum cognitione potissimum consistat, satis ex Philosophia nostra acquiritur: Si Ioannē audiamus altissimè intonantem. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum: Et Mosem de præterito, sed ab occulto mirabiliter prophetantem. In principio creauit Deus cœlum, & terram: & omnia quæ sex dierū spatio facta numerātur. Regius vero Vates ait in psalmo, Verbo domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Propter quod Ioannes iterum de verbo pronuntians, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. & rursum modica oratione immensum explicat misterium, dicens, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hoc est quod videbitis producere in montibus fœnum, & herbam, & dare iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus illud. Hoc est quod aquam de petra sitienti populo dedit. Hoc est quod māna quadraginta annis pluit patribus in deserto. Hoc est quod immēsa charitate nobis corpus, & sanguinem suum in cibum & potū, sub specie panis, & vini sumendum dereliquit. Quæ politica doctrina est ista laudabilior? quæ præcepta condidit in monte Sina scripta digito illius, qui post assumptum hominem ait, Si diligitis me mandata mea seruate qui reddēda omnibus debita per Apostolū præcipit dum inquit, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, qui cœlesti, ac terreno Regi census eorum statuit exhibendos, dicens, Reddite, quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ*

Economica. *sunt Dei Deo. Oeconomicam vitam edocet Dominus per Paulum, Inquiēs, Serui obedite per omnia dominis vestris, & iterum filij obedite parentibus vestris in domino, & supra, Viri diligite vxores vestras sicuti & Christus dilexit ecclesiam, & alibi, Siquis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Ethica. *Ethicam demum, dum ab amore Dei ad proximu dilectionem mandat procedendum, vt etiam si inimicus esuriat, cibum, & potum, des illi: nec solum furta detestatur, & adulteria, sed & horum mentis coercet affectus, minaturq; legum transgressoribus æterna supplicia, ipsarum verò seruatoribus dona spopondit cælestia, quæ oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendere valent. Hæc est illa scientiarum Regina, quę nosipsos continuè ad seipsam capescendam adhortatur, dicens, Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ defluo, Ego quasi fluuius dorix, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso, dixi rigabo hortum plantationum mearum, & inebriabo partus mei fructum, per me Reges regnāt, & legum conditores iusta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam, per me agnoscitur quis sit spiritus intelligentiæ, bonus, iustus, sanctus, multiplex, vnicus, subtilis, modestus, discretus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, benignus, humanus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, & omnia prospiciens. Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inueniēt me, mea est potentia, mea fortitudo, meum consilium, meæ sunt diuitiæ, & opes superbæ, melior est fructus meus auro, & lapide præcioso, genimina mea argento electo. In vijs iustitiæ ambulo, & in medio semitarum iudicij: per me quis scire poterit dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium consumationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, consumationes temporum, anni cursus, stellarum dispositiones, naturas animalium, iras bestiarum, vim ventorum, cogitationes hominum, differentias virgultorum, herbarum omnium virtutes, & quæcunque sunt absconsa & improuisa. O igitur verā Philosophiam, ò dignissimam scientiarum omnium, cuius initium est infinita Dei sapientia, medium optima vitæ institutio, finis vera, perfecta, æternaq; felicitas, huius scientiæ studia, nobis aperient cælorum ianuas, & ad diuinos cultus latum præbebunt ingressum. In ea*

qui

qui versantur, cum Deo versantur, spirituque afflantur illius, scilicet, qui dum pro eius fide stamus ante Reges, & Præsides, loquitur per os nostrum, ac in nostra mente quiescit, ut verius tunc de nobis canamus, quàm quod ille de uatibus ait. Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli;

Sedibus æthereis spiritus, ille venit.

Hanc igitur supremam facultatem toto mentis affectu suscipiant singuli, percolant vniuersi, hac diuina scientiarum Regina suum exornent ingenium, sicque seculorum Regem in Cœlorum solio sedentem, à quo est salus nostra, & omne bonum mentis oculis, reuelato lumine contemplentur, dum facie ad faciem, seipsum purgatioribus oculis largiatur. In hac itaque scientiarum eminentissima, & si quamplures Dei lumine fuerunt illustrati, vt Albertus Alemanus cognomento magnus, Alexander de Ales, Ioannes Scotus Doctor subtilis, Romanus Egidius, Ioannes Bacconitanus & quàmplures alij. Verumtamen Diuus Thomas de Aquino, cum ordine dicendi, tum sententiarum claritate & copia, alijs adeo præstitit vt sicut Aristoteles inter Philosophos primus, ita Diuus iste Thomas in omni scientiarum genere, & præsertim in hac Sacra Theologia nemini sit secundus, in quo suadendo morandum non existimo, ne syluæ ligna, aut vndas mari videar addere velle. Sciunt siquidem vniuersi, quanta, & quam egregia Sanctus Doctor in Dialectica, Philosophiaque, & Methaphisica scripserit vt latini expositoris nomine absque controuersia fuerit exornatus. Quanta in diuina scriptura, Sacraque Theologia exarauerit, vt Doctor Angelicus Theologieque parens vbique meritò celebretur, & sit. Cuius excelsæ Sanctitatis gratia, nutu Dei factum est, vt inter omnes ecclesiæ Doctores, Sancti denominatione ab illis etiam qui doctrinæ eius in aliquibus ex hoc imperiti aduersantur Antonomasicè vocitetur: dum inter disputandum legendùmue dicere consueuerunt, hæc est sancti Doctoris sententia: vel sic tenuit sanctus Doctor, his enim similibusque notis quisque statim Diuum Thomam cognominari cognoscit: sapientiam quoq; illius qui non admiratur aut extollit, non nisi sapientia ieiunus est, vel certè inuidens, ac malignus: sole nanque isto suborto, omnes errorum, ac hæresum vmbre, à sancta Matris ecclesiæ facie protinus

C nus

nus effugatæ sunt. Quidquid dubietatis, quidquid scrupuli, Satore Diabolo pullulat in ecclesia, Thoma iudice constituto, confestim dissoluitur, ac euanescit, omne per Thomam ecclesiasticum Dogma firmatur, roboratq́ue sanctiones persistunt. Quis æuo nostro, imo Quis post solis huius ortum optimus Logicus, Phylosophus, Theologus euaserit, qui non Diui Thomæ, firmissimæ sapientiæ auxilium implorauerit. Quisnam Doctor, aut facundus concionator Ambonem ascendit, qui non à Thoma mutuet, quæ populum erudiant, aut inflammene? Quis Cathedram venerandus Doctor insedit, cui non Thomas; si tamen vera doceat, sapientiæ certitudinem subministret? Quis denique scolasticum certamen adoritur, qui non se prius Thomę armis accinxerit? nec immeritò, quidem, eius nanq; sapiētiam Christus per se approbat. beatissima Virgo collaudat. Petrus, & Paulus edocent, ac commendant. Vniuersitas Parisina miris effert preconijs. Summus Antistes Vrbanus sectandam præponit, & amplexandam pręcipit.

Cæterum huius inuictissimi Ducis numine, agmen ducturus, partes illas prosequar, vbi de profundissimo sanctissimæ Trinitatis misterio vnà cum Magistro Petro Lombardo sententiarum primo doctè, copiosè, & catholicè dixerit, vt nihil vlteriùs in hoc restet desiderandum. Quę portio sicut altissima est, & difficilima, ita pulcherrima & optabilissima, in cuius explanatione ita me planum exhibebo, vt non solum prouectiores. Sed qui vel prima Grammatices rudimenta librauerint, cuncta sint facilè percepturi: nullius enim ætatis, nullius professionis homines excludit, hæc nostra Philosophia, quæ ad vniuersorum salutem è cœlo demissa, omnibus non solùm est exposita, sed etiam necessaria: Verùm hoc vnum ego nunquam satis admiror; quod Hæbrei, Idolatræque, Mahumetani, Hæretici, Martiniani, Caluinistæ, Clancularij, Anabaptistæ, omnisq́ue infidelium turba suæ legis, atque Theologiæ lætiferis vomitionibus die noctuq́ue insudant. Soli autem Christiani & præcipuè religiosi tam seculares, quam regulares, qui legem vitæ profitentur, suam sanctissimam Theologiam, nedum ignorant; Sed quasi negligendam spernere videntur. Ex quo mirum non est, si circa fidei fundamenta, quasi cęcutientes, in multos corruāt errorum laqueos iuxta illud propheticum, Nescierunt, neque intellexerunt & in

tenebris

*tenebris ambulant: subinde ex Apostoli sententia Thesaurizant
sibi iram in die iræ; & reuelationis iusti iudicij Dei. Quapropter
Emanuel Philibertus Dux Inuictissimus vereque catholicus, qui
non solùm statum mitem, ac felicem habere exoptat, verumetiam
quod longè præclarius est, subditum sibi populum in prisca, ac chri-
stiana religione, sibi à maioribus veluti per manus tradita, summa sa
pientia, ac incredibili constantia, conseruare summopere contendit.
Hic denique sacræ Theologiæ professores, qui iuuentutem in hanc
florentissimam academiam vndique confluentem, pura, ac salubri
doctrina imbuerent esse voluit. Quod etiam continuè exequitur
Montis regij Pontifex Religiosissimus Vincentius Laureus scien-
tijs omnibus tum diuinis, tum humanis, linguarumque peritia sum-
mè excultus, vitæ integritate, morum sanctitate, omnibus denique
virtutibus ornatus, quæ quidem excelso loco positæ, tanto in pretio
apud Pontificem Maximum habitæ sunt, vt eum non modo ad Pon
tificiam dignitatem euexerit, verumetiam hac qua apud Serenis-
simum Ducem nostrum Sabaudiæ legatione per honorificè fungitur,
decorauit: vt reliqua omittam, quæ de eo eiusque virtutum splen-
dore longiore oratione dici possent. Accedente etiam Hyeronimi à
Ruuere Antistitis vigilantissimi, ac eiusdem academiæ præfecti di-
gnissimi, eximia opera, qui quidem omni laudum, ac disciplinarum
genere exornatus; tum potissimum in hac Theologica facultate mi-
rummmodum versatus, nihil aliud noctes diesque curat, quàm vt
auidæ religionis ac disciplinæ dignitas, si aliqua ex parte fortasse
collapsa fuerit, in pristinum candorem restituatur. Quam quidem
rem non parum adiuuit summi ac admodum Illustris Cancellarij Co-
mitis Stroppianæ, Ioannis Thomæ Languschi authoritas, qui ob eius
excellentem in omni doctrinarum genere eruditionem, & admira-
bilem in gubernando prudentiam, diuinum prope consilium, cæte-
rasque eximias, ac singulares animi sui dotes, primum Cancellariæ
dignitatis gradum est adeptus, quo quidem neminem, aut aptiorem
aut digniorem eligi potuisse clarè testantur, ampla ab eo expedita
negotia. Summa præterea ac mirifica reliquorum moderatorum di-
ligentia, animique pietate, hoc factum fuit, qui cum me ad hoc mu-
nus obeundum (indignè quidem) delegerint, atque in hoc amplissi-
mo tot præstantissimorum Doctorum collegio cooptauerint, reliquũ*

eſt vt pro tam ingenti in me beniuolentia, immenſóque collato beneficio, ſi non quas velim, ſaltem quas poſſim, primum Duci Sereniſſimo, vobis demum huius celeberrimi Gymnaſij moderatoribus omnibus, maximas ac immortales gratias ago, habeboque dum viuam: interim Deum Optimũ Maximum obteſtor, vt vos omnes incolumes, ac felices quam diutiſſimè conſeruet, mentem denique meam, ſui diuini ſplendoris radijs, illuſtrare dignetur, quo purè, ac candidè, hanc facultatem profiteri poſſim. Vos verò adoleſcentes nobiliſſimi, adhortor, vt ad hanc doctrinam audiendam accedere non grauemini, quandoquidem ſi non quæſtum mundi huius, honores, ac dignitates veluti ex legum, medicinæque, ac phyſolophia reliquarumque artium ſtudio reportabitis, iter tamen vobis (quod multò præſtantius eſt) ad vitam æternam, perpetuoque æuo duraturam, ex eius lectione patefacietis. Vos quoque cuiuſcunque ordinis ſtudioſa ingenia, liberaliter inuito ad ſuperna ineffabilia, & diuina non ſolum percipienda auribus, ſed etiam oculis conſpicienda & manibus contrectanda, cumque ad rem perueneritis ampliora forte poſſidebitis dona, q̃ promiſſa modo ſapiat nectar et Ambroſia ut quilibet noſtrum ſumma cum delectatione dicere poſſit: meditetur in te mens mea, loquatur de te lingua mea, amet te cor meum, ſermocinetur os meum, eſuriat te anima mea, ſitiat te caro mea, deſideret te ſubſtantia mea, gaudio enim illo adhuc ſupramodum ſupererit gaudium: ad uos ergo clariſſimi, & eruditiſſimi uiri uertatur oratio mea, qui hodierna die præſentia ueſtra me decorare dignati eſtis, dignetur ſuperna largitas hæc bona cum melioribus, & optimis in æternum uobis rependere. Dixi.

F I N I S.

Permittente Reuerendo Inquiſitore Taurinenſi.